

einsetzen  
G  
W





COLLEGII THEOL. EXEGETICI  
DISP. PRIMA  
DE

THEOLOGIAE EXE-  
GETICAE NATURA ET  
CONSTITVTIONE,

quam  
DEO O. M. ADIVVANTE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

WILHELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, JVLIIACI, CLIVIAE, MON-  
TIUM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE, &c.

PRÆSIDE

IOANNE PAVLO HE BENSTREIT,

S. Theol. Doctore, ejusdemque & Historiæ Ecclesiasticæ Prof. P.

Ordinario, Consiliario Consistoriali Saxonico, Alam-  
norum Ducalium Ephoro, & Facultatis Theol.

h. t. Decano

*publicæ eruditorum Disquisitioni*

d. Januar. MDCCIII.

*exponet*

IVSTVS FRIDER. REICHENBACH,

Francohus. Thur. S Theol. Studiosus.

JENÆ Literis KREBSIANIS.



CELSISSIMO COMITI AC DOMINO  
DOMINO

ALBERTO

ANTONIO

ESACRI IMPERII QUATUOR VIRIS  
COMITI IN SCHVARTZBURG ET HONSTEIN  
DYNASTÆ ARNSTADLÆ, SONDRSHVÆ, LEVTENBERGÆ,  
LORÆ ATQVE CLETTENBERGÆ  
COMITI COMPLVRIBVS MVNIFICENTIÆ

ΤΕΚΜΗΡΙΟΙΣ  
MAXIME CONSPICVO  
PARENTI PATRIÆ

PLACIDISSIMO  
DELICIO GENERIS HVMANI  
VERISSIMO

ASTILO DEVOTÆ AC STUDIOSE JVVENVTIS  
MVNITISSIMO

IMMENSVM INCREATI CREATORIS  
A MOREM

PROFVNDISSIMAM SVMMI NVMINIS GRATIAM  
ATQVE ADEO

INCONCVSSAM ÆTERNÆ FELICITATIS  
SERIEM

PRECATVR AC IN DEVOTA HOC EST HV MILLIMA  
DEVOTI PECTORIS ARA

EXILE HOC SACRIFICII MVNVSCVLVM  
ÆTERNÆ DEVOTIONIS SIGNVM  
EXHIBET

A V T O R.

Cons.-Rath Radeckesche  
Sammlung.

(o) 80

*Ad Nobilissimum*  
DN. REICHENBACHIVM,  
Amicum Honoratissimum.



Xpandis dextrè Sacra *Diuitis* ostia *Rivi*,  
Oreque suauiloquo dogmata clara  
refers ;

Gratulor, & castè vero de Fonte salutis  
Perpetuum *fluxum* mente fauente  
precor.

M. Joh. Henr. Kindervater.

---



*At citò jam doctos studiorum hos edere fru-*  
*ctus*

*Sat benè sed tentas ; Adsit Iova Tibi !*

Pauca haec Per-eximio atque Doctissimo  
Dn. Respondenti, Conterraneo suo  
aestumatissimo, apposuit, ut debuit

Elias Andreas Hanckelius,  
Francohus. SS. Th. Stud.

---



*D*ivite qui geris à *Rivo* cognomen, Amice  
perdilecte, Tuum, nomen & omen habes.  
Nomen


(o)  
Nomen & omen habes, loquitur res ipsa, quid  
ultra?

Egregium Specimen sedulitatis adest.  
Gratulor. Euge premas docti vestigia Patris  
Ex voto. Faxit summus Jova, precor.

*Hac amicitia sua testanda ergo adjicere debuit  
Per-eximii Dn. Respondentis Contubernalis*

**Joh. Christoph. Wolfermann/**  
Svinf. Franc.SS. Th.St.

---

 *N*on, quae variant, convincat Iustus & Aequus?  
*N*um sibi non subigat Concors, quae adversa  
videntur?

*Sic suffragaris Nobis, Patruelis amande.  
Quare certanti votis acclamo libenter!  
Sit tibi, quae fulget spicis, uberrima messis,  
Ut mercede labor solvatur spesque Parentum.*

Ita de edito specimine Nobilisf. Dn. Respondenti  
partium officii & consanguinitatis memor,  
non poterat non gratulari

**Hoier Johann Trendner/**  
L.L. Stud. Palzo-Soltquellensis Marchicus.







## DISPVTATIO I.

De

### THEOLOGIAE EXEGETICÆ NATURA ET CONSTITUTIONE,

Resp. JUSTO FRIDERICO Reichenbach/  
Francohus. Thür.

#### THESIS I.




QVemadmodum Theologia in genere vi vocis est cognitio DEI rerumque divinarum, aut sermo de Deo rebusque divinis, ac Revelata Theologia in genere vi vocis est cognitio Dei rerumque divinarum aut sermo de Deo rebusque divinis, ex Revelatione Divina specialiter acceptâ : ita speciatim Theologia EXEGETICA (quippe quæ est Revelata) vi vocum est cognitio

A

22(2)20  
gnitio Dei rerumque divinarum aut sermo de  
Deo rebusque divinis ex Revelatione Divina,  
præcisè cum respectu ad interpretationem Verbi Di-  
vinæ Revelationis, seu est cognitio Dei rerumque  
divinarum, aut oratio de iis ex Divina Revelatio-  
ne, quatenus præcisè occupatur circa interpreta-  
tionem Verbi Divinæ Revelationis. Conf. B. D.  
*Bajerus* Comp. Theolog. Exeg. c. I. §. I,

§. I.

 Ratio de Deo rebusque divinis sub ratione Di-  
vinæ Revelationis, quatenus præcisè occupatur  
circa interpretationem Verbi Divinæ Revelatio-  
nis, quoad rem nihil aliud est, quàm sermo de vero &  
genuino sensu Verbi Divinæ Revelationis, aut sermo de  
præceptis interpretationis Verbi Divini revelati. Sic  
& cognitio Dei rerumque divinarum, quatenus præcisè  
versatur circa interpretationem Verbi Divinæ Revelati-  
onis, in re ipsa nihil aliud est, quam cognitio veri & ge-  
nuini sensus Divinæ Revelationis, aut cognitio præce-  
ptorum interpretationis Verbi Divini revelati.

§. II. Recte autem oratio de vero & genuino  
sensu Verbi Divinæ Revelationis appellatur oratio de  
Deo rebusque divinis, cum sensus ille non tantum sit  
θεός πνεύμα & significatio vocabulorum à Deo intenta,  
seu conceptu mentis Divinæ, quem DEUS per verba  
Scripturæ Sacræ significare intendit, atque adeo sit  
res quædam divina, sed & e.g. de Deo, essentia, attri-  
butis divinis, actionibus Dei aut de rebus aliis, nostræ  
salutis

salutis causâ à Deo revelatis, agat. Sic & sermo de præceptis interpretationis Verbi Divinæ Revelati onis est oratio de Deo rebusque divinis, quia oratio illa docet, quomodo verus & genuinus sensus Verbi Divini revelati sit eruendus & declarandus, qui autem docet, quomodo verus & genuinus sensus Verbi Divini revelati sit investigandus, itidem differit de Deo rebusque divinis, cum non tantum Verbum divinum revelatum sit res divina, sed & sensus illius verbi sit conceptus mentis divinæ, quem Deus per verba Scripturæ Sacræ significare intendit.

§. III. Theologia Exegetica vi vocis est cognitio Dei rerumque divinarum, aut oratio de Deo rebusque divinis, ut præcisè est *Theologia*. Est autem cognitio Dei rerumque divinarum sub ratione Divinæ Revelationis, ut est *Revelata*. Ac tandem cognitio est aut oratio cum respectu ad interpretationem, quatenus præcisè *Exegetica* est. Exegetica enim appellatur à verbo ἐξηγήσασθαι, prout hoc verbum in significato strictissimo ac usitatissimo idem est ac interpretari, seu sermonis alicujus sensum manifestare, de quo alteri aut plane nihil, aut non plene constat. Alias τὸ ἐξηγήσασθαι quandoque *generalissime* idem est ac esse ducem, præesse, præire: interdum in *generali* significato idem est ac enarrare & proponere, ut *Luc. XXIV, 35. Act. X, 8. Act. XV, 12. & 14. Act. XXI, 19.* interdum in *speciali* significato idem est ac, id quod alteri ignotum aut obscurum est, sive sit orationis alicujus sensus, sive alia quædam res, manifestare, ut *Job. I, 18.*

## TH. II.

Sicut Theologia Revelata in genere secundum

A 2

dum

dum usum loquendi apud eruditos hodie receptum propriè denotat habitum de Deo rebusque divinis rectè & accurate sub ratione Revelationis Divinæ differendi; sicut & Theologia Revelata Moralis est habitus de Deo rebusque divinis sub ratione Divinæ Revelationis cum respectu ad mores differendi, seu habitus de Deo rebusque divinis sub revelationis divinæ ratione differendi, quatenus præcisè occupatus est in tractandis & explicandis actionibus, in quibus cultus Dei tam mediatus, quàm immediatus consistit: ita in specie Theologia Exegetica (quippe quæ est revelata) est habitus de Deo rebusque divinis rectè & accurate sub Divinæ Revelationis ratione differendi præcisè cum respectu ad interpretationem Verbi Divini Revelati, seu est habitus de Deo rebusque divinis rectè & accurate sub Divinæ Revelationis ratione differendi, quatenus est occupatus præcisè circa interpretationem Verbi divini revelati.

## §. I.

**H**abitus ille de Deo rebusque divinis rectè & accurate sub ratione divinæ Revelationis differendi, quatenus occupatur præcisè circa interpretationem Verbi divini revelati, est habitus verum & genuinum Scripturæ Sacræ sensum ita cognoscendi, ut eum aliis

alii dextrè proponere, ex genuinis interpretationis  
sacrarum literarum præceptis legitimè applicatis con-  
firmare & contra heterodoxorum detorsiones defendere  
possimus, aut est habitus, quo quis præcepta interpreta-  
tionis Scripturæ Sacræ rite explicat, certo ac scientiis  
conveniente ordine disponit, ex suis principiis apte de-  
ducit, solidè confirmat & contra aliorum, e. g. Quakero-  
rum & aliorum Fanaticorum, cavillationes defendit.

§. II. *Habitus verum & genuinum Scripturæ Sacræ  
sensum ita cognoscendi, ut eum dextre aliis declarare,*  
*ex genuinis interpretationis Sacrarum Literarum præ-*  
*ceptis legitime applicatis confirmare & contra hetero-*  
*doxorum detorsiones defendere possimus, dicitur Theo-*  
*logia Exegetica* *VTENS*, cum utatur præceptis inter-  
pretationis ad Scripturam Sacram hic & nunc interpre-  
tandam, seu præcepta ista generalia actu applicet ad  
hanc, illam, istam Scripturæ Sacræ partem hic & nunc  
alteri declarandam; habitus verò, quo quis præcepta  
interpretationis Scripturæ Sacræ dextre explicat, certà  
ac scientiis conveniente methodo disponit, ex suis prin-  
cipiis apte deducit, solide confirmat, & contra Fanati-  
corum cavillationes vindicat, appellatur *Theologia Exe-*  
*getica* *DOCENS*, cum docere strictius dictum, seu pro-  
ut integris scientiis competit, idem sit ac certa quædam  
præcepta generalia, quæ certum quoddam ac determi-  
natum objectum attinent, dextre explicare, certo ac  
scientiis congruente ordine disponere, ex suis principiis  
manifestare, solide confirmare & contra aliorum cavil-  
lationes asserere. Dixi studio, *Theologiam Exegeti-*  
*cam* certo modo acceptam appellari *docentem* à docen-  
di verbo, quatenus hoc strictius, & prout scientiis inte-

(6) 20  
gris competit, sumitur. Quòd si enim verbum illud in latiori significatu usurpatur, prout idem est ac cognitione aliquem imbuere, tam, utens quam docens Theologia Exegetica docet, cum sicut illa præceptorum interpretationis, ita hæc ipsius sensus, quem hæc, ista, illa, Scripturæ Sacræ pars continet, cognitione auditorem vel lectorem imbuat.

§. III. Theologiam verò Exegeticam *docentem & usentem* diversos esse habitus, clare liquet. Quippe illa inclinatur dirigique hominem proxime ad tradenda dextre præcepta generalia interpretationis sacrarum literarum; Theologia verò Exegetica utens dirigit proxime & immediate ad hanc, illam, istam Scripturæ Sacræ partem hic & nunc rite interpretandam. Sicut verò aliud est præcepta generalia interpretationis sacrarum literarum tradere dextre, aliud commentatorem eruditum agere (seu hanc illam, istam Scripturæ Sacræ partem, hic & nunc rite interpretari;) ita & habitus illi, quorum unus ad illum, alter ad hunc actum, inclinatur dirigique, differunt, cum ex operationum, ad quas inclinantur habitus, diversitate ipsa habituum diversitas recte cognoscatur & æstimetur. Accedit, quòd realis discriminis indicium sit realis separabilitas, Theologia verò Exegetica docens & Theologia Exegetica utens separari invicem possint, cum dentur homines, qui facultate pollent, hanc, illam, istam Scripturæ Sacræ partem hic & nunc juxta præcepta interpretationis rite applicata interpretandi, ipsa verò illa præcepta dextre explicare, certo ac scientiis conveniente ordine disponere, ex suis principiis apte deducere, solide confirmare & contra aliorum cavillationes defendere nesciunt.

§. IV. Col-

§. IV. Colligitur & ex dictis facillimo negotio Theologiae Exegeticae à Theologia Positiva & Morali discrimen. Videlicet *primò* Theologia Positiva & Moralis *res* divinitus revelatas, & illa quidem dogmata fidei, hæc verò morum dogmata immediate & directe tractat, ut dogmata ipsa distincte tradat, explicet dextre, confirmet ex instituto, & contra adversariorum objectiones defendat; at Theologia Exegetica, etsi loca Scripturæ Sacrae, in quibus dogmata fidei & morum traduntur, interpretetur, ipsas tamen *res* revelatas seu ipsa dogmata immediate & directe non tractat, sed immediate & directe versatur circa solam interpretationem Verbi Divini revelati, & docens quidem tradit præcisè præcepta interpretationis verbi illius, utens autem ipsum Verbi divini revelati sensum eruit aliisque monstrat, seu quæ sententia textus sit & quid sanctus & canonicus scriptor voluerit dicere, aperit, ipsam verò rerum tractationem, ut distincta est, ita distinctæ quoque operæ & commodiori loco reservat. Dixi studio: *Directè & immediatè*. Theologia enim Exegetica, in primis utens, mediate (h. e. ratione verborum & sensus) tradit etiam res divinitus revelatas, seu res per verba Scripturæ significatas, cum, quando vocabulorum significationem à Scriptura Sacra intentam tradit, non possit non res ipsas per verba significatas efferre juxta ac proponere.

§. V. *Secundò* Theologia Exegetica à Theologia Positiva ac Morali in eo differt, quod Theologia Positiva dogmata creditu necessaria, ac Theologia Moralis dogmata illa, quæ vitam homine Christiano ac regenito dignam concernunt, in certum ordinem digesta seorsim methodo scientiis usitatâ & receptâ tradat, & conclusio-  
nibus

nibus hinc inde juxta consequentiarum regulas deductis explicet & confirmet; Theologia Exegetica verò, quando mediate & ratione verborum ac sensus dogmata, illa simul effert, ea saltem methodò historicà, & admittis aliis rebus & factis, æquè ac Scriptura Sacra, cujus methodum in interpretando sequitur, indicet. Confer. B. *Museus* in Introd. ad Theolog. p. 264.

§. VI. *Tertiò* Theologia Exegetica (utens) à positiva & morali in eo distinguitur, quod positiva & moralis primario tradant ea, quæ per se ad hominum salutem ordinantur, & vel dogmata creditu necessaria, vel vitam Christiano homine dignam concernunt, Exegetica vero de iis, quæ ad hominum salutem per se ordinantur, & de cæteris, quæ ad hominum salutem per se non ordinantur (e g. de historiis nonnullis, typis variis miraculis, &c.) ratione verborum & sensus æquè differat.

§. VII. Vnde manifestè apparet, quàm illi extra Theologiæ Exegeticæ interpretumque limites evagentur, qui, quando Scripturam Sacram interpretari instituunt, quavis arrepta occasione ad capita religionis siue ad locos communes (ut ajunt) exponendos dilabuntur. Hoc quippe negotium Theologiæ, quam vocant, positivæ transcribendum esse, ex hætenus dictis manifestum est. Ac cùm nullus liber, imo nullum Scripturæ caput ansam non præbeat de nonnullis, sæpe multis, aliquando plerisque doctrinæ capitibus differendi, sane si ejusmodi quævis arripiatur occasio, ad singulos libros aut etiam librorum capita tractabitur positiva aut moralis Theologia, & sic ob operis, quod inde nascitur, prolixitatem ad finem, quem aliàs interpretem seu Exegetam sibi propositum habere oportet, nempe ad sensus veri & genuini



genuini Sacrarum literarum notitiam, nunquam aut certe per longos multosque anfractus pervenietur. Quamobrem isti Theologi, qui inter interpretandum labore isto pariter perfunguntur, non quæ debent, sed quæcunque possunt dici, dicunt. Bene *Martinus Delrio* in *preloquiorum* in *Pharum sapientia* capite tertio scribit: *Quid stultius, quàm in vestiario penum, in cella vestimenta, in granario vina, in hypogæo si frumenta reponas? Cur non postulas eodem jure aquam cribro haurire aut bordeum radio vannere. Nescio, quàm alieni sint ab hac culpa, qui, sicut ille in nuce Iliadem, sic ipsi in unum Prophetam omnia, quæ norunt, student conferre, & dum multa magnæ volumina in unum libellum effundunt, otio pariter suo & lectorum abutuntur, & cogunt in montibus pisces, in fluctibus apros venari.* Videtur autem (uti *B. Georgius Calixtus* in Apparatu p. m. 177. existimat) perstringere suæ gentis, quin societatis homines. *Alphonsus* quippe *Tostatus*, ex Doctore & Presbytero Salmanticensi *Abulensis* in Hispania *Episcopus*, consiliarius regius majorque Referendarius, scriptorum mole, acri judicio, antiquitatis cognitione variaque eruditione, clarissimus, in unum *Matthæum* septem tomos commentariorum, qui fere totidem justæ molis volumina cenferi queant, scripsit, nec dum ad finem perduxit. *Quid* (inquit *Calixtus*) futurum, si reliquos Evangelistas & Apostolicas Epistolas pari commentandi ratione exponere perrexisset? Opera e us viginti septem tomis distributa extant Venetiis Anno 1596. in quibus ipse innumera- biles quæstiones decidit, ut de eo scriptum sit:

*Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne.*

B

Quid

Quid item futurum, si, quantum *Benedictus Pererius* in *Genesin*, *Job. Pineda* in *Job. Hieronymus Pradus* & *Job. Bapt. Villalpandus* in *Ezechielem* scripserunt, tantum in reliquos singulos scripturæ libros scribatur? Quæ ætas ejusmodi commentariis evolvendis, aut uni ad istam rationem instituta Exegeticæ Theologiæ absolvendæ sufficiat? In primis ob extravagantem illum ac loquacissimum commentandi modum taxatur meritò *Thomas Haslbachius*, Theologiæ quondam in Acad. Viennensi Professor, qui, uti *Thomas Lansus* in *Disc. de Acad. p. II. ex Æn. Sylvio* & *Cusp.* refert, viginti duos annos in explicatione primi capitis *Esaia* infumavit, nec tamen istum commentarium ad finem perduxit. Christiani ejusmodi commentatores ob monstrosas suas digressiones consimiles omninò sunt tribus illis, quos *Aben-Esra* in *Rhythmica præfat. super Pentateuch.* perstringit meritò, Rabbiniס חכמי הישיבות, ספרים במלכות ישמעאלים *sapientibus* (alioquin) *Academiarum* in regno *Ismaëlitico* (Turcico,) quorum primus, nimirum *R. Izzchak*, super aliquam primi capitis *Geneseos* partem duo spissa composuit volumina, occasione *Lucis* totam *Opticem*, occasione *plantarum* totum *Herbarium*, occasione *animalium* totam *Physicam* pertractans; alter, *R. Saadiab*, occasione *astrorum* totam *Mathesin* immiscuit; tertius, *R. Schemuel* filius *Chophni*, occasione *profectionis Jacobi* totum *Itinerarium*, atque occasione *somnii* totam *ὁνειρολογία* modosque interpretandi tradidit.

## TH. III.

Th. III. Exegetica synonyma (ut B. D.

P. 10.

*Bayerus* in Theol. Exeg. Comp. p. 2. enarrat ) sunt  
 (1.) donum prophetiæ, (2.) Hermeneutica sacra,  
 (3.) scientia aut facultas interpretandi scripturam,  
 (4.) ratio cognoscendi Sacras literas, (5.) metho-  
 dus exponendarum Sacrarum literarum.

§. I.

**S**icut Apostolus *Eph.* IV, II. *I. Cor.* XII, 29. 30. functi-  
 ones varias à Christo in Ecclesia constitutas re-  
 censens, per prophetas intelligit viros facultate  
 cùm interpretandi difficiliore intellectu Scripturas, tum  
 futura nonnunquam prædicendi divinitus instructos:  
 ita *1. Cor.* XII, 10. accipit pro dono  
 seu facultate interpretandi Scripturam Sacram, ac τοῖς  
 χάρισμασι, h. e. donis Ecclesiæ concessis (ita dictis, quia  
 sunt gratis data) accenset. Speciatim quando *Rom.* XII,  
 6. de prophetia dicit, quòd adhiberi debeat κατὰ ἀνάλο-  
 γίαν τῆς πίστεως, nihil aliud significat, quàm donum ac fa-  
 cultatem interpretandi Scripturam ita debere exerceri  
 & in actum deduci, ut interpretatio & expositio omnis  
 adminiculo illius doni instituta, undiquaque conformis  
 sit perpetuo, sibi que per omnia consentienti tenori  
 articulorum capitumque doctrinæ, quæ in apertis Scri-  
 pturæ Sacræ locis proponuntur.

§. II. Theologia Exegetica vocatur *Hermeneutica*  
 à verbo ἑρμηνεύειν (interpretari,) quod in *generaliori* si-  
 gnificatu idem est ac per notius ac clarius quippiam  
 manifestare, quod alteri ignotum aut obscurum erat ;  
 in *speciali* verò acceptione idem est, quod oraticnis sen-  
 sum

sum obscurum aut alteri minus cognitum per clariore  
phrases modosque loquendi declarare. Exegetica enim  
Theologia *docens* tradit generalia præcepta Sacras lite-  
ras interpretandi, seu Scripturæ Sacræ sensum alteri ob-  
scurum vel ignotum manifestandi ; *Vtens* verò juxta  
præcepta illa ad Scripturam Sacram interpretandam rite  
applicata hanc, illam, istam Scripturæ Sacræ partem hic  
& nunc interpretatur, seu hujus vel illius Sacrarum Li-  
terarum partis sensum obscurum aut alteri ignotum &  
minus cognitum hic & nunc declarat, & huic illi ostendit.

§. III. Cæterum in specialiori illo significato *ἐξου-  
σιάζων* usurpatur *Luc. XXIV, 24.* ubi de Christo dicitur :  
*διηκουήθησαν αὐτοῖς ἐν πύλαις ἡραφῆς τὰ ῥηθι αὐτῶν, h. e. in-  
terpretabatur illis ea, que in omnibus Scripturis de eo erant.*  
Videlicet Evangelistæ mens est, quòd Christus per duas  
vel tres horas cum discipulis Emaunta contenditibus  
conversatus, ex Mose & Prophetis omnibus vaticinia de sua  
passione, morte & resurrectione commemoraverit, ac  
eorundem vaticiniorum, velut integrarum orationum,  
sensum hætenus discipulis illis obscurum ac incognitum  
ipsis manifestaverit, atque adeo vel omnia vel pleraque  
V. T. vaticinia, quæ de passione, morte & resurrectione  
Christi agunt, exposuerit. Confer. Harmonia Evange-  
listarum *Chevnitio-Lysero-Gerhardina*, cap. 221. pag. 2150.  
Eodem sensu *διεφώνηθη* adhibetur *I. Cor. XIV, 5.* Quod  
ut eò clarius liqueat, priores quinque totius illius capi-  
tis versus simul sunt explicandi. Videlicet mens  
Apostoli in versibus illis huc redit : *Charitatem, tan-  
quam omnium actionum vestrarum moderatricem futuram,  
habete commendatam, atque vi ejus, cum non suam, sed*  
alio-

aliorum gloriam & utilitatem quarat, emulatione quadam certate in donis; qua ad profectum Ecclesie magis conducunt: præ cæteris tamen omnibus operam date interpretationi Sacrarum literarum. Facultas certe Sacras literas interpretandi donum variis peregrinis linguis loquendi longè antecellit, cum ad adificationem Ecclesie & utilitatem proximi plurimum conferat. Licet enim, qui peregrinis linguis loquitur, ex spiritali dono mysteria offerat & celebret, non tamen cum hominibus, sed cum Deo inter loquendum agit, cum ab hominibus non intelligatur. At is, qui Scripturam Sacram interpretatur, aliis proponit ea, qua faciunt ad ipsorum adificationem ipsosq; in studio pietatis promovent, dum alii inde hauriunt, quod ad consolationem & exhortationem mutuam faciat. Ac qui peregrina quadam lingua loquitur, (sibi inservit ac prodest; qui verò Sacram Scripturam interpretatur, inservit & prodest Ecclesie (seu toti cœtui Ecclesiastico,) dum ea dicit, que ad membrorum Ecclesie profectum in veritatis cognitionis & pietatis studio plurimum conducunt. (Atqui publica merito anteferenda sunt privatis.) Nequaquam verò hoc in contemtum doni linguarum dictum velim: Optarim enim, ut vos omnes, si fieri possit & à Deo vobis concessum fuerit, linguis peregrinis variis loquamini. At tamen malim, ut Scripturam Sacram interpretemini: is enim, qui Sacras literas interpretatur, ob utilitatem, quam Ecclesia præstat, pluris faciendus est, quàm is, qui diversis peregrinis linguis loquitur, ἐπιδοὺς εἰ μὴ διαπορεύσῃ, h. e. nisi idem donum quoq; habeat Scripturam Sacram interpretandi.

§. IV. Pariter τὸ ἐγγυνοῦσθαι in specialiori isto significato sumitur, quando à verbo illo sermo quidam Hebr.

V. II. appellatur *δυσερμίνος*, (*agere interpretabilis*, seu *interpretatu difficilis*,) h. e. sermo, cujus sensus ægrè aliis, e. g. Hebræis, manifestari potest, & quidem (quod ad præsens attinet) ex accidente hominum vitio, nempe ob auditorum, Hebræorum videlicet, quorum aures imparatæ erant hisce divinis capiendis, negligentiam & stuporem.

§. V. Sicut autem verbum *ἐρμηνεύω* in generaliori significatu idem est ac per notius aut clarius quippiam manifestare, quod alteri ignotum aut obscurum erat: ita nomen abstractum *ἐρμηνεία* quandoque eam generalem obtinet significationem, ut denotet quamvis manifestationem, qua per clarius aut notius manifestatur id, quod alteri ignotum aut obscurum erat. Hoc modo accipitur etiam *I. Cor. XII, 10.* ubi Apostolus diversis donis à Spiritu Sancto concessis accenset *ἐρμηνείαν γλωσσῶν, & τοῖς γένησι γλωσσῶν* contradistinguit. Quemadmodum enim per *τῶ γένει γλωσσῶν* intelligitur facultas linguæ peregrinis variis loquendi: ita *ἐρμηνεία γλωσσῶν* est donum, quo quis, etsi tam expedite linguæ variis loqui non possit, quàm alii, tamen sermones in linguæ illis prolatis in linguam notiores transfert, atque adeo per sermonem notiores aliis manifestat. Conf. *Balduinus* in comment. in h. l.

§. VI. Cæterum Theologia Exegetica vocatur Hermeneutica *sacra*, i. e. ad sacrarum literarum interpretationem restricta, quia datur etiam non tantum profana, h. e. habitus tradendi præcepta interpretationis profanarum orationum, e. g. legum civilium, aut habitus hanc, illam, istam profanæ scripturæ aut orationis

nis partem hic & nunc interpretandi, sed & Hermeneutica habetur à sacra pariter & profana in se abstrahens, quæ scilicet præcepta interpretationi omnium scriptorum communitia suppeditet. Atque hujusmodi Hermeneuticam à sacra pariter & profana abstractam *Dannbaueriana* boni interpretis & malitiosi calumniatoris *Idea* nobis exhibet: ipse quippe *Dannbauerus* in titulo illius ideæ indicat, quòd ipsa, obsecrante dispulsa, verum sensum à falso discernere in omnibus Autorum scriptis ac orationibus doceat, & plene respondeat ad quæstionem, *unde scis, hunc esse sensum, non alium?*

§. VII. Theologiam Exegeticam B. *Dannbauerus* in titulo Hermeneutica Sacra vocat *methodum exponendarum Sacrarum Literarum*. Vbi *methodi* vox idem esse potest, quod *scientia* aut *disciplina*; prout *Aristoteles* terminum istum accipit, quando lib. I. *Top.* c. 2. docet, dialecticam esse methodum ( h. e. disciplinam seu scientiam) quæ habeat *ὁδὸν πρὸς ἀπαρῶν τῶν μεθόδων δέχξαι* h. e. *viam ad omnium disciplinarum principia*.

§. VIII. Sicut Theologia Exegetica regulas cognoscendi Sacras literas ( quas *Flacius* in *Clav.* part. II. p. 7. ita nominat ) vel methodice & ex instituto tradit, vel ad hanc, illam, istam Scripturæ Sacrae partem hic & nunc interpretandam applicat, ita eatenus dici potest ratio cognoscendi Sacras literas; prout etiam in Part. II. *Clav. Flacii* Tractatus I. & II. de ratione Sacras literas cognoscendi inscribitur. Quanquam accurate loquendo Theologia Exegetica non tam sit ipsa ratio cognoscendi Sacras literas, quàm rationem istam ostendat.

§. IX. The-

§. IX. Theologia Exegetica docens merito appellatur *scientia interpretandi Scripturam*: Et quidem scientia vocatur vel ex ea causa, quod strictè loquendo doceat, h. e. certa quædam præcepta, quæ certum quoddam ac determinatum objectum attinent, certa methodo disponat, dextre explicet, ex suis principiis apte deducat, solidè confirmet, & contra aliorum cavillationes defendat: Docere enim, si strictius sumatur, scientiis integris proprium est. Nuncupatur verò Theologia, Exegetica *scientia interpretandi Scripturam*, ut indicemus actum illum & finem, cujus gratia illa scientia est, seu ad quem scientia illa tendit, cujusmodi actus & finis est Scripturæ Sacræ interpretatio.

§. X. Cæterum Theologia Exegetica utens in se non est scientia, cum non in generalibus occupata sit, quod scientiis solenne est, sed, quando munere suo fungitur, circa singularia versetur, & ad hanc, illam, istam Scripturæ Sacræ partem, juxta præcepta interpretationis Sacrarum literarum generalia jam applicata, huic, illi hic & nunc interpretandam immediate dirigit. Commodè autem Theologia Exegetica utens dicitur *facultas interpretandi Scripturam Sacram, τῆς διδάμεις* seu facultatis voce adeò latè sumtâ, ut de omnibus etiam artibus & scientiis dici possit, cujusmodi acceptio occurrit apud *Aristotelem* lib. IX. Metaph. c. II. ubi ille inquit: διὸ πᾶσαι αἱ τέχναι καὶ αἱ ποιντικαὶ καὶ αἱ θρησκευτικαὶ διδάμεις, h. e. *quare omnes artes & scientia sunt potentia (s. facultates.)*

#### TH. IV.

Habet autem Theologia Exegetica tam docens



cens, quàm utens objectum suum certum & determinatum. Et quidem Theologiæ Exegeticæ docentis objectum adæquatum constituunt ( $\alpha$ ) *Finis* (nempe veri & genuini sensus Sacrarum literarum cognitio,) ( $\beta$ ) *Subiectum operationis* (nempe auditor aut lector cognitione illa imbuendus quâ talis,) & ( $\gamma$ ) consequendæ illius cognitionis *Media*; Theologiæ verò Exegeticæ utentis objectum determinatum est oratio *Biblica*, ut interpretanda.

§. I. Sicut enim cujusvis scientiæ practicæ itemque effectivæ objectum definitum & adæquatum constituunt *Finis*, *Subiectum operationis*, & consequendi *finis Media* ac *Principia*: ita Theologiæ Exegeticæ docentis completum & determinatum objectum tribus illis partibus absolvitur.

§. II. Ac sicut facultatis interpretandi seu Hermeneuticæ utentis, prout à sacra & profana abstrahit, in actu primo spectatæ objectum est universale aliquod, nempe oratio interpretanda in genere considerata, & quidem indeterminata ac indefinita, in actu autem secundo spectatæ objectum est singulare aliquod, nempe aut hæc vel illa oratio Sacra, aut hæc vel illa oratio profana, hîc & nunc huic, illi interpretanda: ita in specie Theologiæ Exegeticæ utentis in actu primo spectatæ objectum est textus fa-

C

per

cer in genere consideratus, in actu autem secundo spectatae objectum est haec, illa, ista Scripturae pars hic & nunc huic, illi interpretanda.

#### TH. V.

Sicut autem Theologia Revelata positiva non tantum est facultas explicandi, confirmandi & defendendi dogmata fidei, sed & habitus doctrinis illis firmum & immotum assensum praebendi: ita & Theologia Revelata Exegetica non tantum est habitus, quo quis tradit rationem eruendi veri & genuini sensus Sacrarum literarum, aut ipsum illum sensum eruit ac manifestat, sed & importat formaliter habitum credendi, hunc Scripturae sensum esse mentem ipsius Dei in hac scriptura loquentis.

#### THI. VI.

Vnde patet, Theologiam Exegeticam certo respectu, nempe eatenus, quatenus habitum istum credendi involvit, esse habitum ipsum in sua substantia supernaturalem.

Nam habitus assentiendi substantiam suam sortiuntur ab ultima assentiendi ratione ejusque motiva, ut, si haec est supernaturalis, habitus quoque

cer

per se & in substantia sua sit supernaturalis; sin hæc est naturalis, ipse etiam assentiendi habitus per se & in substantia sua naturalis sit. Jam verò habitus illius assentiendi & credendi, quò quis credit firmiter, hunc Scripturæ Sacræ sensum mentem esse ipsius Dei, in hac Scripturæ loquentis, ratio assentiendi ultima est Revelatio Divina supernaturalis, quippe quæ supernaturaliter & vi motiva supernaturali ad istiusmodi assensum movet.

#### TH. VII.

Etsi igitur Theologia Exegetica sit habitus in sua substantia supernaturalis, tamen non tantum per vires gratiæ & gratiosum Dei concursum, sed & (scilicet hodie & ordinariè) certo respectu per laborem ac studium nostrum aliquot annorum acquiritur.

Nam Theologia Exegetica importat non tantum habitum assentiendi supernaturalem, quo quis firmiter credit, hunc Scripturæ Sacræ sensum esse ipsam mentem Dei in Scripturæ loquentis, sed & habitum cognoscendi aliisque manifestandi Scripturæ Sacræ verum & genuinum sensum. Jam verò habitus ille assentiendi non nisi per vires gratiæ & per gratiosum Dei concursum acquiritur, habitus verò interpretandi Scripturam Sacram successivè, nec sine labore nostro aliquot annorum comparatur, cum ad eum apparatus variarum artium & linguarum prærequiratur.

#### TH. VIII.

## TH. VIII.

Definiri potest Theologia Exegetica docens, quod sit *scientia de veri, & genuini sensus Sacrarum literarum cognitione efficiendâ*: Ac Theologia Exegetica utens definitur, *quod sit habitus cognoscendi, aliisque manifestandi verum & genuinum Sacrae Scripturae sensum.*

Prioris definitionis sensus huc redit: Est scientia, quæ docet, quomodo & quibus mediis veri & genuini Sacrarum literarum sensus cognitio acquiri, & vel in nostro vel in aliorum animo progigni, possit.

## TH. IX.

Partes Theologiæ Exegeticæ juxta ordinem Analyticum collocanda sunt, ut I. tractentur, quæ ad Finem absolute sic dictum, seu Cujus, & quidem ad Finem Cujus ultimum, II. quæ ad Subjectum operationis seu ad Finem Cui, III. quæ ad Causas ac Media pertinent.



5  
D A 6592


ULB Halle  
003 106 357 3



Vs 17  
1380







COLLEGII THEOL. EXEGETICI  
DISP. PRIMA  
DE  
THEOLOGICÆ EXE-  
GETICÆ NATVRA ET  
CONSTITVTIONE,  
DEO O. M. ADIVVANTE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO  
WILHELMO HENRICO,  
DVCE SAXONIAE, JVLIIACI, CLIVIAE, MON-  
TIIUM, ANGARIAE ET WESTPHALIAE, &c.  
PRÆSIDE  
IOANNE PAVLO HEBENSTREIT,  
S. Theol. Doctore, ejusdemque & Historiæ Ecclesiasticæ Prof. P.  
Ordinario, Consiliario Consistoriali Saxonico, Alum-  
norum Ducalium Ephoro, & Facultatis Theol.  
h. t. Decano  
*publicæ eruditorum Disquisitioni*  
d. Januar. MDCCIII.  
*exponet*  
IVSTVS FRIDER. REICHENBACH,  
Francohuf. Thur. S Theol. Studiosus.  
JENÆ Literis KREBSIANIS.

